158 nis omnium hæredum utilitas. Reſpon-
dendum autem ad rationem JCti, quòd per
illam & verba ſubſequentia ſolummodò vo-
luerit excludere culpam leviſſimam, ut pa-
tet ex contrapoſitione negotiorum geſtoris in
verb. & ideò *negotiorum geſtorum actio ei non
competit.* quaſi ſcilicèt culpa leviſſima, quæ
juxta nos præſtatur in negotiorum geſtio-
ne, non præſtetur in Communione hære-
ditatis.

159 Provenit hinc actio familiæ herciſcundæ,
hoc eſt, actio de dividenda hæreditate, quâ
cohæredes petunt, ut hæreditas dividatur,
& præſtetur utrinque, quod æquum eſt. Ha-
betque prædicata, quòd ſit civilis, perſonalis,
rei perſecutoria, bonæ fidei & perpetua.

160 Dixi: *quòd ſit perſonalis.* Ita ſupponit Im-
perator Juſtinianus in *l. ſuper annali* 1. §. 1. *Cod.
de Annali except.* ubi actionem familiæ herci-
ſcundæ numerat inter actiones perſonales.
161 Ita ſupponunt Imperatores Dioclet. & Ma-
xim. in *l. unus individuum* 3. *Cod. In quib. cauſ.
ceſſ. longi temp. præſcript.* ubi actio familiæ herci-
162 ſcundæ opponitur rei vindicationi. Ita con-
vincit ratio, quòd hæc actio non oriatur ex
jure reali (nam dominium hæreditatis adeſſe
ſupponitur ex *num.* 97. aliàs non poteſt effica-
citer moveri) ſed ex jure ad rem, obligatio-
ne perſonali, & quaſi-Contractu *§. idem Juris*
4. Inſt. de Obligat. quæ quaſi-ex Contractu &c. In- 163
deque ſemper adversùs eundem detur. Glet-
le *d. p. 2. Pand. q.* 30. *num.* 4. Schwendendorf-
fer ad Eckold *ff. Famil. herciſc.* §. 2. Cur 164
autem dicatur mixtam habere cauſam in *§.
quadam actiones* 20. *Inſt. de Act.* relucet ex di-
ctis in *num.* 89. quia non ſolùm præſtationes
perſonales habet annexas, ſed etiam in effe-
ctu naturam rei vindicationis imitatur, ac
cohæredem, ſecutâ diviſione, dominum fa-
cit portionis diviſæ *arg. l. diviſionem* 1. *Cod. Com-
mun. utriusque Jud.*

Dixi præterea, quòd actio familiæ herci- 165
ſcundæ ſit *perpetua*, hoc eſt, duret 30. annîs,
ſi nimirum unus ex cohæredibus rem hæredi-
tariam per 30. annos ſolus poſſederit per tex-
tum in *l. ſuper annali* 1. §. 1. *Cod. de Annali except.*
At, ſi cohæredes per 30. annos ſteterint in 166
communione, actio familiæ herciſcundæ non
extinguitur: nam, ſtante communione, ſtat
fundamentum hujus actionis, & nulla currit
præſcriptio: imò ſi curreret, induceret com- 167
munionem perpetuam, quæ tamen ob me-
tum diſcordiarum in Jure deteſtabilis & inter-
dicta eſt *l. in hoc* 14. §. 2. *ff. l. ult. Cod. Communi
divid.* D. Gletle *d. p. 2. Pand. quæſt.* 31. *num.* 2.
Lauterb. ad *cit. tit. ff. Famil. herciſc.* §. 27. Harp-
precht ad *cit. §. quadam actiones* 20. *Inſtit. de Act.
num.* 31. & *ſequent.*

§. III.

De Communione rei ſingularis.

168 TErtiò ponitur inter quaſi-Contractus ex
Communione Communio rei ſingularis,
quæ deſcribi poteſt, quòd ſit quaſi-Contra-
ctus, quô illi, qui rem aliquam ſingularem,
citra ſocietatem, habent communem, ſibi in-
vicem obligantur ad diviſionem rei, & præſta-
tionem illius, quod æquum eſt.

169 Dixi I. *quaſi-Contractus* ad mentem & diſpo-
ſitionem Imperatoris in *§. item ſi* 3. *Inſt. de Ob-
ligat. quæ quaſi-ex Contr.* ubi Harpprecht *num.* 1.
quia obligatio, quam ſubeunt rei communis
domini, non oritur ex aliqua conventione
expreſsâ, ſed tacitâ, & diſpoſitione Legis in-
ductâ.

170 Dixi II. *quô illi, qui rem aliquam ſingularem.*
Res itaque ſingularis conſtituit objectum hu-
jus quaſi-Contractûs, eumque diſtinguit à
Communione hæreditatis *l. per hoc judicium* 4.
in pr. ff. Communi divid.

171 Dixi III. *citra ſocietatem.* In ſocietate con-
currit expreſſa voluntas ſociorum, vel gene-
ralis vel ſpecialis: in Communione, ut dictum
in *num.* 115. ſolâ Lege inducitur, aut præſu-
mitur voluntatis conſenſus.

172 Dixi IV. *communem habent.* Ubi non refert,
ex quo titulo proveniat illa communio, utrùm
ex legato vel donatione, puta quia eadem res
duobus legata vel donata fuit *d. §. item ſi* 3. ubi
173 Harpprecht *num.* 39. Nec refert, qua-
lis ſit res, quæ ſit communis inter duos, ſi
modò corporalis ſit, atque ex jure dominii
communis fiat *l. per hoc* 4. *in pr. l. communi* 7. *in
pr. & §§. ſeqq. ff. Communi divid.* Sin au- 174
tem res incorporalis, aut ex jure aliô v. g.
uſufructu vel pignore ſit communis, induci-
tur quidem communio, ſed actio ſolùm uti-
lis conceditur *d. l. communi* 7. §. 3. 6. *& ſeqq. ff.
d. t.* Lauterb. *ibid.* §. 9.

Dixi V. *ſibi invicem obligantur ad diviſionem rei.* 175
Cùm enim Communio pariat diſſenſionem &
rixam, Jura non voluerunt, ut aliquis ma-
neat invitus in Communione, ſed obligatio-
nem introduxerunt, ut ij, quibus res com-
munis eſt, obligentur ad patiendam rei com-
munis diviſionem.

Dixi VI. & *præſtationem illius, quod æquum eſt:* 176
debet ſiquidem poſt diviſionem rei etiam lu-
crum ex communi re dividi, debent & impen-
ſæ eatenùs dividi, ut quilibet illas pro ſua por-
tione ſuſtineat §. *item ſi* 3. *Inſt. de Obligat. quæ
quaſi-ex Contr.* Etſi unus alterum dolô 177
vel culpâ, latâ aut levi, damnificaverit, re-
paratio à damnificante fieri debet, ſicut in
Communione hæreditatis *l. etſi non* 8. §. 7. *l. ſi
is* 20. *ff. l. ſi major* 4. *Cod. Communi divid.* Lau-
terb. ad *ff. d. t.* §. 12.

Datur ex hoc quaſi-Contractu communi- 178
bus dominis actio communi dividundo, quæ
eſt civilis, perſonalis, bonæ fidei, rei perſecu-
toria, & perpetua. Convenit in ple- 179
riſque cum actione familiæ herciſcundæ; di-
ſconvenit ſolùm in eo: quia non ſemel tan-
tùm, ſed ſæpiùs, quoties nimirum res indivi-
ſa reperitur, moveri poteſt *l. per hoc* 4. §. 2. *ff.*
d. t.

180 *d. t.* cùm tamen actio familiæ herciſcundæ,
quæ univerſam reſpicit hæreditatem, tan-
tummodò ſemel intentari poſſit; &, ſi quid
indiviſum remanſerit, actio communi divi-
dundo inſtitui debeat *l. ſi filia* 20. §. 4. *ff. Famil.
herciſcundæ.* Brunn. ad *d. l. pro hoc* 4. *n.* 3.

181 Dixi I. quòd actio Communi dividundo
detur *ex quaſi-Contractu:* quod non ita velim
intelligi, quaſi locum non habeat in veris
Contractibus: quippe cùm quoad hanc ac-
tionem nihil interſit, an duo rem communem
habeant voluntate tacita, vel expreſſa, dum-
modò juſtus titulus ſuffragetur *l. nihil autem* 2.
in pr. ff. Communi divid.

182 Dixi II. quòd actio communi dividundo ſit
perſonalis: utpote cùm eadem Legis authori-
tas & ratio militet pro hac actione, quæ pro
priori. Schwendendorff. ad Eckold *cit. tit.
Communi divid.* §. 3. Gletle *2. p. pand. q.* 30.
num. 4. Clariſſ. D. Franz ad *tit. Inſt. de Obligat.
quæ quaſi-ex contr. p.* 3. *n.* 2.

183 Dixi III. quòd *perpetua* ſit, & 30. annîs du-
ret; intellige, ſi, ut dictum antecedenter in
num. 110. unus ſolus ex condominis rem ali-
quam communem per 30. annos poſſederit:
ſin autem in communione manſerint per 30.
años, huic actioni non nocet præſcriptio 30.
annorum. Struv. *exercit.* 15. *th.* 27. Stryck
in *uſu mod. ad cit. tit. ff. Communi divid.* §. 7.
Gletle *cit. l. q.* 31. *n.* 2.

184 Indagandum reſtat: an diviſio tum rei ſin-
gularis tum hæreditatis, ſemel peracta, pro-
pter læſionem revocari poſſit? Conveniunt
hic DD. cenſuitque hôc annô 10. Febr. no-
ſtra Facultas, diviſionem Judicialem, ad quam
Judex quà talis, æſtimationis faciendæ & in-
æqualitatis tollendæ gratiâ, accedit, non re-
185 ſcindi, tametſi ſit enormis: tum quia Judicis
cujuscunque præſentia ſuſpicionem fraudis &
injuſtitiæ excludit *arg. cap. in præſentia* 6. *de
Renuntiat. cap. ſicut nobis* 16. *in fin. de Sent. & re
judic. l. venditio* 1. *Cod. de Præd. minor. l. pacta
noviſſima* 12. *Cod. de Pact.* tum quia res judicata
ſub prætextu læſionis, quantumvis ſit immo-
dica, non reſcinditur *l. cùm putarem* 36. *ff. Fa-
mil. herciſc. l. res judicata* 2. *l. ſub ſpecie* 4. *Cod. de
Re judic.* Stryck de *Cautel. Contract. ſect.* 3.
186 *cap.* 4. §. 16. At quando Judex nudæ
ſolennitatis gratiâ interfuit diviſioni, tunc,
quia diviſio non habet authoritatem rei judi-
catæ, reſciſſionem non refugit. Gletle *d. p.* 2.
187 *q.* 33. *n. ult.* Diſconveniunt autem
Authores, utrùm, ſi diviſio ſit extrajudiciali-
ter facta, non poſſit reſcindi, niſi dum læſio
enormis & ultra dimidium eſt facta? Brunn.
ad *l. majoribus* 3. *Cod. Communia Utriusque Jud.
num.* 1. *& ſeqq.* Stryck in *uſu mod. ad tit. ff.
Fam. herciſc.* §. 7. & alii, ab eo citati, læſio-
nem ultrà dimidium efflagitant, eô ducti ar-
gumentô, quòd emptio-venditio, cujus vi-
cem obtinere dicitur diviſio in *l. diviſionem* 1.
Cod. d. t. non poſſit reſcindi niſi propter læſio-
nem immodicam. At meliori funda- 188
mentô nititur ſententia, quæ læſionem quam-
cunque notabilem, Judicis arbitriô determi-
nandam, ſufficere credit cum Fachin. *lib.* 8.
controv. 36. Struv. *exercit.* 15. *th.* 16. Miller
ibid. lit. e. Lauterbach. ad *tit. ff. Famil. herciſc.
th.* 24. Gletle *cit. q.* 33. *n.* 7. Inprimis 189
enim textus in *cit. l. majoribus* valde perſpi-
cuus eſt, dum majoribus ſubveniri pronun-
tiatur, *etiam per fraudem, vel dolum, vel perpe-
ràm ſinè judicio factis diviſionibus.* Quæcun-
que igitur diviſio, perperàm facta, qualis eſt,
in qua læſio notabilis occurrit, reſciſſioni lo-
cum tribuit. Deinde ratio, quam ſub- 190
jungunt Imperatores, eſt æquè luculenta:
*quia in bonæ fidei judiciis, quod inæqualiter factum
eſſe, conſtiterit, in melius reformabitur.* Ad- 191
hæc in Contractibus bonæ fidei majoribus
ſuccurrendum eſſe, reſcribitur in *l. in contra-
ctibus* 3. *Cod. Ex quib. cauſ. major.* quod nihil
aliud eſt, quàm majoribus ſuccurri, quando
notabiliter læduntur in Contractu bonæ fi-
dei.

Ad argumentum contrarium Reſp. em- 192
ptionem-venditionem quoad læſionem ultra
dimidium, ob frequentiam Contractûs & ne-
ceſſitatem commerciorum, ſpecialiter exce-
ptam eſſe; eique diviſionem in *cit. l. diviſio-
nem* 1. non æquiparari ſimpliciter, ſed quoad
effectum ſeu translationem dominii, vel ſal-
tem conditionis uſucapiendi.

Limitationẽ notabilẽ hujus ſententiæ faciũt 193
DD. quando cohæres, qui læſum ſe queritur,
vel ipſemet diviſionem hæreditatis fecit; vel
rerum diviſarum volorem non ignoravit:
ſicut enim tunc emptio-venditio nequidem
ex capite læſionis enormis reſcindi poteſt ex
deductis in *cap.* 2. *num.* 242. ſic neque diviſio
ex capite læſionis notabilis reſcindi valet.
Stryck in *uſu mod. ad cit. tit. ff. Famil. herciſc.*
§. 6. Quam in rem allegari ſolet D. Ambro-
ſii ſententia *lib.* 1. *de Abraham cap.* 3. dicentis:
*firmior dividat; infirmior eligat: ne habeat, quod
conqueratur: electionis enim ſuæ partem non poterit
calumniari: non reſidet occaſio reſiliendi, cui datur
optio eligendi.*

SECTIO IV.

De Cæteris Quaſi-Contractibus.

SUMMARIA.

194. Deſcribitur acceptio indebiti. 195. & ſeqq. Eſt quaſi-Contractus. 198. & ſeqq. Quò indebitum. 202. Recipiens ſolventi. 203. Obligatur ad id, quod accepit, reddendum. 204. & ſeq. Si duæ res alternativè ſint debitæ, electio ſolventi tribuitur. 206. Oritur hinc condictio indebiti. 207. Probandus eſt error. 208. & ſeq. Error facti ſufficit. 210. & ſeqq. Er-
rorem

rorem Juris aliqui non ſufficere putant. 213.
& ſeqq. Alii contrarium rectiùs ſentiunt. 218.
& ſeq. Solvuntur oppoſita. 220. *Deſcribitur*
datio ob cauſam. 221. *Eſt quaſi-Contractus.*
222. *Incidit in Contractus innominatos crebriùs;*
quàm 223. *Nominatos.* 224. *Datur hinc*
condictio causâ datâ &c. 225. *Contra hære-*
des. 226. *Et hæredibus ex capite non adim-*
pletæ fidei. 227. *Deſcribitur datio ob turpem*
cauſam. 228. *Eſt quaſi-Contractus.* 229.
& ſeqq. Requirit turpitudinem ex parte acci-
pientis. 232. *Obligatur is ad reſtitutionem rei*
acceptæ. 234. *Parit condictionem ob turpem*
cauſam. 235. *Affinis eſt condictio ſinè cauſa;*
& 236. *Condictio triticaria.* 237. *Deſcribi-*
tur aditio hæreditatis. 238. *Eſt quaſi-Contra-*
ctus. 239. *Quô obligatur hæres.* 240. *Ad*
ſolvenda legata. 241. *Datur exinde actio per-*
ſonalis ex teſtamento. 242. *Deſcribitur rece-*
ptum. 243. *& ſeqq. Eſt quaſi-Contractus.*
246. *Quô nautæ, caupones &c.* 247. *& ſeq.*
Non alii. 249. *Tacitè promittunt.* 250. *Res,*
in navi &c. receptas. 251. *Salvas fore.*
252. *Non obſtante clavis extraditione, niſi via-*
tor periculum in ſe receperit. 253. *Naſcitur*
hinc actio in factum.

§. I.

De Acceptione indebiti.

194 AD quaſi-Contractus in hac *ſect.* refero I.
acceptionem indebiti, quæ definitur,
quòd ſit Quaſi-Contractus, quô indebitum
recipiens ſolventi obligatur ad id, quod acce-
pit, reddendum.
195 Dixi I. *Quaſi-Contractus* juxta *§. item is 6.*
Inſt. de Obligat. quæ quaſi-ex Contr. Qui enim
ſolvit indebitum, nihil expreſsè contrahit
cum accipiente, ſed accipiens ex ipſa acce-
ptione cenſetur promittere, quòd, ſi apparue-
rit indebitum eſſe, quod ſolutum erat, reſti-
196 tuere velit. Et quamquàm in *§. is quo-*
que 1. *Inſtit. Q. M. R. C. O.* acceptio indebiti
numeretur inter Contractus reales: atta-
men hoc ſolùm fit occaſione mutui, quate-
nùs, ut loquitur Imperator, indebitum acci-
piens pariter tenetur, *ac ſi mutuum accepiſſet.*
197 De reliquo quòd acceptio indebiti verus Con-
tractus non ſit, explicat idem Imperator in
fin. hîs verbîs: *ſed hæc ſpecies obligationis non vi-*
detur ex Contractu conſiſtere: cùm is, qui ſolvendi
animô dat, magìs voluerit negotium diſtrahere,
quàm contrahere. Stryck in *uſu mod. ad tit. ff. de*
Cond. indeb. §. 1.
198 Dixi II. *quô indebitum.* Indebitum hic ac-
cipitur naturaliter ſimul & civiliter: quod
enim nec debetur Jure Naturali, nec Jure Ci-
vili, illud non rectè ſolvitur, &, ſi fuerit ſolu-
tum, rectè repetitur *l. quod pupillus 41. ff. de*
199 *Condict. indeb.* Quod autem vel natu-
raliter eſt debitum, vel ſaltem civiliter effi-
caciter, id, ſi ſolutum ſit, repeti nequit *l. ſi pœ-*
na 19. in pr. l. Judex 28. ff. d. t. l. naturales 10.
ff. de O. & A. l. ſi fidejuſſor 29. §. 5. ff. Mand.
200 Quòdſi debitum ſit verum, ſed ſub conditione
propriè dicta, vel ſub die incerto, nihilominùs
in ordine ad acceptionem & repetitionem in-
debiti cenſetur eſſe indebitum: quia ſpes tan-
tùm, debitum iri, ſubeſt *l. ſub conditione 16. in*
201 *pr. & §. 1. ff. de Condict. indeb.* Quod ſecus
eſt de conditione impropria, vel die certo *l.*
nam & 9. l. nam ſi 17. l. quòdſi 18. ff. eôd. Lau-
terb. ad *eund. tit. § 5. & ſeqq.* Clariſſ. D. Franz
ad *tit. de Obligat. quæ quaſi-ex Contr. p. 6. n.* 11. *&*
plur. ſeqq.
202 Dixi III. *recipiens ſolventi.* Ubi ex parte re-
cipientis non diſtinguitur, quisnam ſit, ſi mo-
dò potuerit ſolutionem acceptare; ſicut ex
parte ſolventis quoque non attenditur, quis
ille ſit, & ſive per ſe ſolverit indebitum, ſive
per alium *cit.* D. Franz *n. 5. & 6.*
Dixi IV. *obligatur ad id, quod accepit, redden-* 203
dum. Cùm enim res indebita non fuerit ab-
ſolutè in accipientem tranſlata, ſed ſub tacita
conditione, ſi non apparuerit indebita: ideò
reſtituitur accipienti cum omnibus fructibus
& acceſſionibus, in quantum extant formali-
ter aut virtualiter, hoc eſt, in locupletatione
l. quod indebitum 7. l. indebiti 15. in pr. l. in ſum-
ma 65. §. 5. ff. d. t. Quòdſi duæ res 204
disſjunctivè debeantur, v. g. vel horologium
vel catena, & utraque ſolvatur, Veteres JCti
non fuerunt in ſua doctrina concordes, dum
Julianus in *l. cùm is 32. in princ. & §. ult. ff. d. t.*
electionem tribuit ſolventi; Ulpianus econ-
trà in *l. ſi non 26. §. pen. ff. eôd.* electionem ad-
ſcribit accipienti. Verùm Imperator 205
Juſtinianus, rejectâ Ulpiani ſententiâ, in *l. pe-*
nult. Cod. d. t. ſententiam Juliani comproba-
vit; & meritò: quia, dum aliunde promiſſo-
ris eſt electio in debito alternativo; eſt etiam
in præſenti electio ſolventis, utpote qui an-
tecedenter erat promiſſor, & per repetitio-
nem ſoluti in ſtatum anteriorem reponitur.
Prænob. & Clariſſ. D. de Baſſis in 50. *deciſ.*
Juſtinian. deciſ. 15. n. 20. & ſeq.
Oritur ex hac indebiti acceptione condi- 206
ctio indebiti, quæ eſt actio civilis, perſonalis,
rei perſecutoria, ſtricti Juris, perpetua, quâ
quis repetit, quod indebitè ſolvit. Cùm 207
verò non facilè quis præſumatur ſuum jacta-
re, &, quod indebitum eſt, ſolvere, *l. cùm de*
indebito 25. in pr. ff. de Probat. hinc actor, qui
condictionem indebiti movere cupit, proba-
re tenetur, ſe ex juſta ignorantia & errore ſol-
viſſe; niſi perſona ſit privilegiata, nempe pu-
pillus, minor, fœmina, agricola *d. l. cùm de*
indebito 25. in pr. & §. 1. Ubi quidem pro 208
certo traditur, ſufficere ignorantiam facti
alieni, quâ quis v. g. ignorat, ſolutionem à
defuncto, cui ſucceſſit, jam factam eſſe *l. ſi*
non 6. Cod. de Jur. & facti ignor. l. ſi per 6. l. ſi quis
10. *Cod. de Condict. indeb.* quippe cùm talis ig-
norantia in ſagaciſſimis quoque hominibus
reperiatur, & ideò veniam mereatur *l. in om-*
ni 2. l. error facti 8. ff. de Jur. & facti ignoran.

Nec

209 Nec minùs pro certo tenetur, ignorantiam
facti proprii, quâ quis erroneè putat, ſe debi-
tum contraxiſſe, ſufficere *l. ſed etſi 22. in pr. l.*
cùm is 32. §. 1. ff. de Condict. indeb. licèt enim
error facti proprii ægrè toleretur à Jure *per l.*
quamquàm 7. ff. ad SCtum. Vellejan. à damno
nihilominùs, per amiſſionem rei indebitè ſolu-
tæ incurrendô, liberat *arg. l. regula 9. ff. d. t.*
de Jur. & facti ignor.
210 Difficultas ſolùm oritur de ignorantia vel
errore Juris, quô v. g. aliquis ſolvit legata
ex teſtamento ſecundùm LL. non confecto,
quod validum exiſtimat, an condictionem in-
debiti movere poſſit? Negant Harpprecht ad
§. is quoque 1. Inſt. Q. M. R. C. O. num. 53. & ſeqq.
Zoëſ. *ad tit. ff. de Condict. indeb. num.* 14. Lau-
terb. *ibid. §.* 18. Schwendendorff ad Eckold
eôd. tit. §. 3. Struv. *exercit.* 18. *th.* 40. per
textum manifeſtum in *l. cùm quis 10. Cod. de Ju-*
ris & facti ignorant. ibi: *cùm quis Jus ignorans*
indebitam pecuniam ſolverit, ceſſat repetitio: per
ignorantiam enim facti tantùm repetitionem indebi-
211 *ti ſoluti competere, tibi notum eſt.* Acce-
dit textus alius in *l. error facti 9. Cod. ad L. Fal-*
cid. ubi decernitur, hæredem, qui integra
legata præſtitit ex errore Juris, non poſſe be-
212 neficium Legis Falcidiæ ſibi applicare. Ra-
tio eſt: quia, qui ſcit, ſe nihil debere, & ſol-
vit, non habet indebiti condictionem: *cujus*
enim per errorem dati repetitio eſt, ejus conſultô dati
donatio eſt l. cujus 53. ff. de R. J. ſed, qui verſa-
tur in errore Juris, præſumitur eſſe ſciens *arg.*
l. ſi Titius 48. in pr. ff. de Fidejuſſor.
213 Verùm benigniùs ſentiunt, & condictio-
nem indebiti, quando aliquid ex errore Juris
indebitè ſolutum eſt, concedunt Vinn. *ſelect.*
quæſt. lib. 1. cap. 47. D. de Baſſis *cit. deciſ.* 14.
& 15. n. 7. D. Gletle 3. *part. Pand. cap. 7. n.* 21.
Stryck in *uſu mod. Pand. ad tit. cit. de Cond. indeb.*
214 *§.* 5. Textus non ſpernendus occurrit
in *l. ſi poſt 4. Cod. de Jur. & facti ignorant.* ubi
permittitur condictio ſoluti ex errore Juris,
quando poſt diviſionem hæreditatis vitium
teſtamenti detectum eſt, ibi: *oſtende igitur,*
teſtamentum vel fide veri deficere, vel Juris ratio-
ne ſtare non poſſe. Textus alius, nec 215
diſſimulandus, extat in *l. eleganter 23. §. 2. ff.*
de Cond. indeb. ubi, quod ex tranſactione, de
Jure invalidâ, datum eſt, repeti permittitur.
Ratio quoque gemina ſuccurrit: prima eſt, 216
quòd indebiti condictio ex bono & æquo dica-
tur introducta, *quod alterius apud alterum ſinè*
cauſa deprehenſum revocare conſuevit l. hac condi-
ctio 66. ff. d. t. Quod autem errore Juris eſt
ſolutum, ſinè cauſa deprehenditur apud alte-
rum exiſtere; & magìs æquum ac bonum eſt,
ut parcatur errori Juris, quàm ut conſulatur
malæ fidei, quam habet accipiens, ſaltem
ab eo tempore, ex quo ſolvens indebitum
oſtendit. Altera eſt, quòd ignorantia 217
Juris non ſoleat nocere, quando certatur de
damno vitando *l. Juris ignorantia 7. l. error fa-*
cti 8. ff. de Jur. & facti ignor. At, qui repetit
indebitum, certat de damno vitando, dum
rem ſuam, cujus ante ſolutionem dominium
habuit, negatâ condictione, irrevocabiliter
amittit. Ergo &c.
Ad textus oppoſitos, ſolidè enervandos, 218
ſciendum eſt, nonnunquàm in ſolutione, fa-
ctâ per errorem Juris, pro accipiente reten-
tionis æquitatem ſtare, ac, attentô Naturali
Jure, & ſepoſitîs Legibûs poſitivîs, plenam re-
tinendi facultatem ipſi competere; veluti
contingit in Lege falcidia, quæ, cùm benefi-
cium ſit Legis Civilis, de Jure Naturæ non
habet aliquam vim, ſed voluntas teſtatoris,
integra legata præſtari volentis, ſervari de-
bet. In ſimili itaque caſu ſiquis ſolve- 219
rit indebitum ex errore Juris, ſolutum repe-
tere non poteſt: quia non adverſatur æquo &
bono, ut, qui Jure Naturali tutus eſt, Legi-
bûs quoque poſitivîs defendatur.

§. II.

De Datione ob cauſam.

220 AD Quaſi-Contractus refero Dationem ob
cauſam, quæ definitur, quòd ſit Quaſi-
Contractus, quô id agitur, ut, ſi quid datum
ſit ob cauſam futuram honeſtam, câusâ non
ſecutâ, datum liceat repetere.
221 Dixi: *quòd ſit Quaſi-Contractus.* Cùm enim
in tali conventione, quâ aliquid datur ob cau-
ſam futuram, expreſsè non agatur ad repeti-
tionem dati, ſed ad inducendam obligatio-
nem, ut ex altera parte cauſa, hoc eſt, datio
vel factum ponatur: hinc facultas repetendi
non provenit ex vero ſed Quaſi-Contractu
arg. pr. & §. item 3. Inſt. de Obligat. quæ quaſi-ex
Contr. §. is quoque 1. in f. Inſt. Q. M. R. C. O.
Lauterb. ad *tit. ff. de Condict. causâ datâ &c. §.* 5.
222 Incidit hic Quaſi-Contractus ſæpiùs in
Contractus innominatos, quàm nominatos:
in illis enim pœnitẽdi facultas indulgetur jux-
ta *cap. 5. num.* 19. conſequenter is, qui dedit
aliquid, non eſt obligatus, ut datum accipien-
ti relinquat, ſed pro ſuo libitu repetere valet;
in iſtis econtrà pœnitentiæ locus non datur, 223
ſed, qui Contractum implevit, ſolùm agere
poteſt actione ex Contractu, ut alter quoque
promiſſionem ſuam adimpleat per *l. ult. ff. de*
Periculo & Commodo rei vend. l. fructus 13. Cod.
de Act. empti. Srryck in *uſu mod. ad cit. tit. de*
Condict. causâ datâ &c. §. 1. & 2. Quamquàm,
ſi Contractibus nominatis aut etiam Pactis
adjiciatur modus, Datio propter cauſam ſe
tacitè immiſceat, &, ſi modus non impleatur,
repetitioni locũ faciat per dicta in *cap. 1. n.* 268.
Oritur hinc condictio ſeu actio perſonalis, 224
quâ id, quod datum eſt ex cauſa, causâ non
ſecutâ, repetitur. Eaque condictio eſt Civi-
lis, perſonalis, rei perſecutoria, ſtricti Juris,
& perpetua. Datur non ſolùm contra 225
accipientem, ſed etiam contra hæredes *l. di-*
ctam legem 8. Cod. de Condiction. ob cauſam dator.
Datur etiam hæredibus dantis, non quidem 226

ex ca-

ex capite ſolius pœnitentiæ, quæ, cùm perſonalis ſit, exſpirat cum defuncto per *l. locatio 4. ff. Locati*; ſed ex capite non adimpletæ fidei ab accipiente *l. ſi ut proponis 2. l. eâ lege 3. Cod. de Condict. ob cauſam dator.* Brunn. *ibid. num.* 11. Lauterb. ad *ff. cit. tit.* §. 10. Stryck *ibid.* §. 7. D. Franz ad *tit. Inſt. de Obligat. quæ Quaſi-ex Contr. p.* 7. *num.* 11.

§. III.

De Datione ob turpem cauſam.

227 III. HUc pertinet datio ſeu potiùs acceptio ob turpem cauſam; quæ eſt Quaſi-Contractus, quô is, qui aliquid accepit ex cauſa, quæ tantùm eſt turpis ex parte ſua, obligatur ad reſtitutionem illius, quod accepit.

228 Dixi I. *Quaſi-Contractus.* Nam expreſſa conventio non initur eâ conditione, ut liceat datum repetere, ſed tacita ſolùm conventio expreſſæ ineſt, ut, ſi datum quid eſſe appareat ex cauſa, quæ turpis eſt ex parte ſolius accipientis, illud repetatur. Lauterb. ad *tit. ff. de Condict. ob turpem vel injuſt.* §. 3.

229 Dixi II. *quô is, qui aliquid accepit ex cauſa, quæ tantùm eſt turpis ex parte ſua.* Cauſa itaque debet eſſe injuſta ſolùm ex parte accipientis, veluti ſi quis alteri det pecuniam, ut omittat ea, quæ Juris neceſſitate tenetur omittere, v. g. ut furtum vel adulterium non committat, injuriam non faciat *l. omne quod* 1. §. 1. *l. ut puta*
230 2. *in pr. &* §. 1. *& paſſim ff. d. t.* Si cauſa ſit injuſta tantùm ex parte dantis, locum non habet hic Quaſi-Contractus aut illius obligatio, ſed repetitio dati negatur per *l. idem ſi* 4. §. 3. *ff. d. t.* Vid. Gletle *p.* 3. *Pand. cap.* 6. *à n.* 4. Sin cauſa ex parte utriusque ſit injuſta, rurſus
231 Quaſi-Contractus ſubeſſe non cenſetur, ſed, ceſſante repetitione, dicitur eſſe melior conditio poſſidentis *l. ubi autem* 3. *l. idem ſi* 4. *in pr. & §.* 1. *l. ſi ob turpem* 8. *ff. de Condict. ob turp. cauſ.* Quod verum eſt reſpectu partium, non autem 232
reſpectu Magiſtratûs: hic enim lucrum, quod alter ex ſua turpitudine ſenſit, extorquere poteſt *arg. l. cùm hic* 32. §. *ult. ff. de Donat. inter vir. & uxor. l. Lucius Titius* 9. *ff. de J. F.* Lauterb. *cit. l.* §. 9. Stryck §. 3.

Dixi III. *obligatur ad reſtitutionem illius, quod* 233
accepit. Textus in *num.* 229. jam citati ſunt.

Naſcitur exinde condictio ob turpem cau- 234
ſam, quâ repetitur, quod ab altero turpiter acceptum eſt; eaque condictio eſt Civilis, perſonalis, rei perſecutoria, ſtricti Juris, & perpetua.

Cum hac condictione & prioribus concur- 235
rit I. condictio ſinè cauſa, quæ eſt civilis, perſonalis, rei perſecutoria, ſtricti Juris, & perpetua, quâ res, apud alium, ſinè titulo vel juſta cauſa exiſtens, repetitur *l. eſt & hæc* 1. *in pr. & §§. ſeqq. l. nihil refert* 4. *ff. de Condict. ſinè cauſa.* Lauterb. Struv. Stryck. ad *d. titul.* Clariſſ. D. Franz de *Action. p.* 6. *ſect.* 3.

II. Condictio triticaria, quæ eſt perſonalis, 236
rei perſecutoria, & perpetua, quâ aliquis, cui æſtimatio rei debetur ex quacunque cauſa, æſtimationem petit *l. qui certam* 1. *in pr. l. in hac* 3. *l. ult. ff. de Condict. Triticar.* Stryck 16. Clariſſ. D. Franz *d. l. ſect.* 5.

§. IV.

De Aditione hæreditatis.

237 IV. HUc revocatur Aditio hæreditatis, quæ eſt Quaſi-Contractus, quô hæres, aditâ hæreditate, obligatur legatariis, & fidecommiſſariis ſingularibus, ad ſolvenda & præſtanda ea, quæ illis ex ultima voluntate debentur.

238 Dixi I. *Quaſi-Contractus.* Hæres ſiquidem neque cum teſtatore, neque cum legatariis & fidecommiſſariis ullam conventionem init: hinc adeundô hæreditatem tacitè ſolùm promittere cenſetur, quòd voluntatem defuncti ſervare velit §. *hæres quoque* 5. *Inſt. de Obligat. quæ quaſi-ex Contr.* Harpprecht *ibid. n.* 2.

239 Dixi II. *obligatur legatariis & fidecommiſſariis ſingularibus.* Cum creditoribus hæreditariis hæres nil contrahit de novo, ſed tenetur ex anteriori Contractu, quem creditores cum defuncto celebrârunt: quia ex perſona ſucceſſorum vel hæredum qualitas obligationis, quâ defunctus tenebatur, immutari non ſolet *l. ſtipulationum* 2. §. 2. *ff. de V. O.* Harpprecht *cit. l. n.* 4.

Dixi III. *ad ſolvenda & præſtanda ea &c.* At- 240
que hic effectus eſt hujus Quaſi-Contractûs, quòd hæres debeat præſtare legata, fideicommiſſa, & omnia, quæ in ſuprema voluntate teſtator ordinavit.

Conſequitur ex eadem obligatione actio 241
perſonalis ex teſtamento, quâ legatarii & fidecommiſſarii particulares agunt adversùs hæredem, ut præſtet, quod defunctus præſtari voluit. Eſtque hæc actio civilis, rei perſecutoria, ſtricti Juris, & perpetua. Textus in §. *ſed olim* 2. *Inſtit. de Legat.*

§. V.

De Recepto.

242 V. HUc reducitur Receptum, quod eſt Quaſi-Contractus, quô nautæ, caupones, ſtabularii, tacitè promittunt, res, in navi, caupona, vel ſtabulo receptas, ſalvas fore.

Dixi I. *Quaſi-Contractus.* Quantumvis 243
enim

enim Bachovius exiſtimet, in Recepto verum Contractum, aut locationis-conductionis, ſi merces interveniat; aut depoſiti, ſi gratis fiat, ſubeſſe ad mentem *l. & ita* 3. §. 1. *ff. Nautæ, caupones, ſtabularii, ut recepta reſtituant &c.*
244 Communior tamen ſententia cum Brunn. ad *l. ait Prætor* 1. *d. t. n.* 2. Harpprecht ad §. *ult. Inſt. de Obligat. quæ quaſi-ex delicto n.* 7. & 8. Struv. *exercit.* 8. *th.* 108. Millero *ibid. lit. a.* Lauterb. in *tractat. Synopt. de Naut.* (habetur in *Diſſert. Tubing. vol.* 4. *n.* 9.) *th.* 19. *& ſeqq.* pro Quaſi-Contractu pugnat. Nam hôc ipsô, quòd res inferantur in navim, cauponam, aut ſtabulum, illius exercitor curam & cuſtodiam ſuſcepiſſe præſumitur, eſto nulla deſuper conventio nullúmve pactum anteceſſerit *d. l. ait*
245 *Prætor* 1. §. *ult.* Poteſt itaque Contractus locationis aut depoſiti celebratus eſſe cenſeri, ſi expreſſa conventio fuerit inita; at, ubi hæc deficit, Contractus non alius, quàm quaſi-talis, ſeu Receptum, initum eſſe judicatur.

246 Dixi II. *quô nautæ, caupones, ſtabularii, &c.* Per hos intelliguntur perſonæ, quæ navem, cauponam, aut ſtabulum ex officio exercent, & ad quas omnis reditus & utilitas ex navi, caupona, vel ſtabulo pervenit *d. l. ait Prætor* 1.
247 §. 2. 4. *&* 5. *ff. Nautæ, Caupones &c.* Aurigas quoque ſubintelligi, cum Richter *p.* 3. *deciſ.* 141. *n.* 16. voluit Sixtinus *Conſil. Marpurgenſ. vol.* 2. *Conſ.* 20. *n.* 36. Sed, quia LL. de aurigis ſilent; tacitique Contractus ex ſolo hominum ſilentio, tacentibûs LL. non inducuntur; Lauterb. in *d. tract. de Naut. Caup. th.* 34.
248 cum JCtis Tubingenſibus negat. Minùs hic quaſi-Contractus ſubintrat, quando cives, qui cauponam non exercent, ſed in adventu v. g. alieni Principis, aut in concurſu plurium hoſpitum, quosdam in ædes ſuas recipiunt, licèt pro pretio aut mercede cibum aut habitationem conceſſerint *arg. l. & ita* 3. §. 1. *&* 2. *ff. d. t.* Miller ad Struv. *cit. exercit.* 8. *th.* 110. *l. d.*

Dixi III. *tacitè promittunt.* Cùm enim enu- 249
meratæ perſonæ in recipiendis hoſpitibus aut vectoribus publicô quaſi miniſteriô fungantur, ac per ſuſpenſam hæderam omnes ad ſuum diverſorium invitare videantur *arg. l. un.* §. *ult. ff. Furti adv. Naut.* Lauterb. *d. l. th.* 13. *& ſeqq.* rerum quoque, illuc delatarum, ſecuritatem ſpondere præſumuntur.

Dixi IV. *res, in navi, &c. receptas.* Nec in- 250
tereſt, an ipſe navis, aut cauponæ exercitor, an magiſter, inſtitor, vel alius, ad hoc deputatus, res illas recipiat *l. ait Prætor* 1. §. 2. *&* 5. *ff. Nautæ, caupones &c.* Nautæ verò ſeu remiges, aut famuli mediaſtini, atriarii, focarii, quibus ejusmodi cura non incumbit, ſi res quasdam recipiant, quaſi Contractus non conſurgit. *d.* §. 2. *&* 5. Struv. *d. exercit. th.* 110.

Dixi V. *ſalvas fore.* Quòd ſi res, ita rece- 251
ptæ, non maneant ſalvæ, ſed quacunque & cujuscunque culpâ, latâ, levi, & leviſſimâ corrumpantur, deſtruantur, auferantur, caupo, nauta, vel ſtabularius damnum reſarcire tenetur; niſi oſtendere poſſit, damnum prorſus ex caſu contigiſſe, ſeque diligentiam omnem impendiſſe *l. & ita* 3. §. 1. *inf. l. ſed & ipſi* 4. *in pr. &* §. 1. *ff. d. t.* Struv. *d. l. th.* 111. Miller *ib. lit. e.* Lauterb. *th.* 38. Nec illum relevat, quòd 252
viatori claves ad cubiculum tradiderit, aut iſte cubiculum bene clauſerit, aut cuſtodem appoſuerit, niſi exercitor cauponæ v. g. periculum expreſsè à ſe dimoverit, idque viator in ſe receperit *l. ult. in pr. ff. d. t.* Lauterb. *d. l. th.* 45.

Oritur hinc actio in factum, quâ ille, qui 253
res in navim, cauponam, aut ſtabulum intulit, agit adversùs exercitorem & ejus hæredes, ut res illatæ reſtituantur, & damnum, cujuslibet culpâ eveniens, reſarciatur. Eſtque prætoria, rei perſecutoria, & perpetua *d. l. & ita* 3. §. 4. Lauterbach *d. l. th.* 17.

CAPUT VII.

De Transactione, & Donatione.

PActis & Contractibus annecto Transactionem, & Donationem: utpote cùm interdum ad Pacta; nonnunquam ad Contractus revocentur.

SECTIO I.

De Transactione.

SUMMARIA.

Transactionis etymon. 2. & 3. *Acceptio.* 4. *Definitio.* 5. *& ſeqq. Eſt rei alicujus controverſæ.* 8. *Ac dubiæ.* 9. *Conventa deciſio.* 10. *Fit Pactô nudô.* 11. *Contractu innominato, &* 12. *Nominatô.* 13. *Datô aliquô, promiſſô, vel retentô.* 14. *Alia Judicialis, alia extrajudicialis.* 15. *Alia generalis, alia ſpecialis.* 16. *Regula de perſonis tranſigentibus.* 17. *De pupillis.* 18. *De Filiisfamilias.* 19. *De Procuratoribus.* 20. *De Syndicis.* 21. *& ſeqq.*